Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

homine uobis abdicto in baptismate, et ipsi domino summo deputato, qui licet cum sitis mali et inuiti ad obediendum, illi tamen propter suam iusticiam et potentiam uos ei obedire oportet, Cuius potentiæ resistere non potestis, nec quomodolibet contraire, sed quia uasa estis malitiæ, licet absq; uestra uoluntate similiter uasa iusticiæ, oportet ut iustitia dei adimpleatur. Ideo per hæc uerba ueritatis uos adiuro, et uobis ex ipsius potestate præcipio, qui uos eiecit de regno coelorum, ut ab hoc homine recedatis, et absq; mora, quoniam nec ad ictum oculi super uoluntatem omnipotentis dei in coelo manere potuistis, sic nec hic potestis in hoc corpore sed festinè transeatis, et hunc hominem, et omnem creaturam amodo illæsam permittatis absq; omni impedimento infestationu uestrarum: Per eum qui uenturus .etc.

Nunc uersa manu percutiat buccas obsessi paulatim, et utrunq; latus, et dicat magna deuotione, firma fide et spe.

Exite per omnipotentiam patris, exite per omnipotentiam filij, exite per omnipotentiam spiritus sancti, et recedite ab hac famula Dei. N. nam immensus